

De Enthymemate, Inductione, &c. 487

fit major primi syllogismi primæ figuræ potest etiam negans esse, cum prima figura majorera modo affirmantem modo negantem habeat; reliquæ autem sunt affirmantes.

26. Denique de Dilemmate etiam agendum est brevissimè. Dicitur autem dilemma, quando ad conclusionem vel sententiam probandam adhibemus conditionalem syllogismum, in quò majoris consequens est disiunctivum, cuius utroque membro per alios syllogismos sublato tollitur antecedens, quod conclusioni vel sententiæ nostræ adversatur; contra autem nostra sententia vel conclusio manet, cum sublato unum contradictoriorum tanquam falso, maneat alterum tanquam verum. E. g. sit quæstio, an homo iustificetur per opera? Negativa probatur dilemmate h. m., Si homo iustificatur per opera, aut iustificatur per opera fidem præcedentia, seu quæ proveniunt ab ipso, ut irrenato, aut per opera fidem consequentia, seu quæ ab ipso fiunt, ut renato: Sed non iustificatur per opera fidem præcedentia, quia sine fide Deo placere impossibile est: neq. etiam iustificatur per opera fidem consequenti, quia sunt

Hh 4 im-